

Ut inter divinum publicumque
 ius et privata commoda competens discretio
 sit, sancimus, si quis aliquam reliquerit hereditatem
 vel legatum vel fideicommissum vel donationis titulo
 aliquid dederit vel vendiderit sive sacrosanctis ecclesiis
 sive venerabilibus xenonibus vel ptochiis vel monasteriis
 masculorum vel virginum vel orphanotrophiis
 vel brephotrophiis vel gerontocomiis nec non
 iuri civitatum, relictorum vel donatorum vel venditorum
 eis sit longaeva exactio nulla temporis solita
 praescriptione coartanda.

1 ¶ Sed et si in redemptione
 captivorum quaedam pecuniae vel res relictæ
 vel legitimo modo donatæ sunt, et earum exactionem
 longissimam esse censemus.

2 ¶ Et nobis quidem
 cordi erat nullis temporum metis huiusmodi actionem
 circumcludi. sed ne videamur in infinitum hanc extendere,
 longissimum vitæ hominum tempus eligimus
 et non aliter eam actionem finiri concedimus.
 nisi centum annorum curricula excesserint: tunc
 enim tantummodo huiuscemodi exactionem evanescere sinimus.

3 ¶ Sive itaque memoratis religiosissimis
 locis vel civitatibus hereditas sive legatum sive fideicommissum
 fuerit relictum, vel donatio vel venditio
 processerit in quibuscumque rebus mobilibus vel immobilibus
 vel se moventibus, sive pro redemptione
 captivorum quaedam fuerint derelicta vel donata, sit
 eorum paene perpetua vindicatio et ad annos centum
 secundum quod dictum est extendatur, nulla alia
 exceptione temporis inhibenda, sive contra primas
 personas sive contra heredes vel successores earum
 moveatur.

4 ¶ In his autem omnibus casibus non
 solum personales actiones damus, sed etiam in rem
 et hypothecariam secundum nostræ tenorem constitutionis,
 quæ legatariis et hypothecariis donavit,
 et supra dictis omnibus unum tantummodo terminum
 vitæ suæ imponimus, id est centum metas annorum.

5 ¶ Haec autem omnia observari sancimus
 in iis casibus, qui vel postea fuerint nati vel
 iam in iudicium deducti sunt.